



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 1. Maiorem excommunicationem priuare passiuâ participatione
Sacramentorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)



LIBER SEPTIMVS ET TOTIVS OPERIS TRIGE- SIMVS SECVNDVS.

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS, PROVT EARVM
notitia facit ad rationem iudicandi de peccatis.

N tradenda ratione iudicandi de peccatis tractationi Sacramentorum, adiungenda est tractatio censurarum Ecclesiasticarum: tanquam pœnarum: ab illorum vſu excludentium iis ligatum: ita vt peccet cum tali vinculo siue ſuſcipiens, siue adminiſtrans quodcunq; Sacramentum paucis caſibus exceptis, quæ in ſequentibus propriis locis commemorabuntur. Atque illud de nomine cenſuræ præmittendum eſt: quia apud Romanos Cenſorita præerat populo, vt ipſum corrigeret: ipſum eſſe nomen nõ tantum officii, ſed etiam correctionis & pœnæ, vt cum Satyricus dixit, *Vexat cenſura columbas*: qua acceptione cenſura hic capitur: nimirum pro Eccleſiaſtica correctione culparum, id eſt, pro pœna qua quis ab Eccleſia ob aliquam culpam priuatur vſu bonorum, quorum diſpenſatio eſt illi diuinitus commiſſa. Sicque acceptæ, tres ex cap. Quærenti, De verborum ſignific. diſtinguuntur ſpecies: excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Quam diſtinctionem vt Doctõrum communem Sylueſter refert in verbo *interdictum* l. n. 3. Nec videtur audiendus Sotus in *quartum diſtinct. 22. queſt. 3. art. 1.* dum addit ceſſationem à diuinis: quia cum hæc nihil ſit aliud quam intermiſſio diuinorum officiorũ, facta ob aliquam iuſtam cauſam, quemadmodum *Navar. in Enchir. cap. 27. num. 164. & 188. bene notat*, ponenda, non eſt in numero cenſurarum. Accedit quod reuocari poſſit ad interdictũ, cuius rationem quandam inducit. Nec item audiendus videtur Viguierius in cap. 16. Inſtitutionum ſuarum § 6. verſ. 13. addens degradationẽ, depõſitionem & irregularitatẽ, quoniam hæc non cenſuræ, ſed inhabilitates ſunt dicendæ: vt pote quæ non priuant ſolo vſu bonorum ſpiritualium, ſed quoad fieri poſſet, facultate eis vtendi. Iam pro triplici memorato cenſurarum Eccleſiaſticarum genere, tres tractatus hic liber continebit. Primus erit de excommunicatione, ſecundus de ſuſpenſione, & tertius de interdicto.



TRACTATVS I.

De excommunicatione.

QUOD & quotuplex ſit excommunicatio & quæ ad illius validitatẽ requirantur ex parte cauſarum ex quibus pendet, ſufficienter expoſitum eſt à nobis in præced. libro 9. ſimul cum ijs quæ ſpectant ad abſolutionẽ ab eadem. Hoc vero loco addenda reſtant peculiariter faciẽtia ad rationem de peccatis iudicandi nobis propoſitam. Suntque illa quibus excommunicatio ita priuat, vt ſi hæc irretitus, illa vſurpet, peccet: ſimulque cæteri communicantes ipſi, niſi interueniat cauſa aliqua excuſans. Atque ita procedemus, vt primo loco perſequamur ſigillatim ea quibus excommunicatio maior priuat excommunicatũ. Secundo vero, ea in quibus cæteri cum illo cõmunicare prohibentur. Tertio, ea quæ talem cõmunicationem excuſare poſſunt à peccato. Ad extremum aliquid addemus de excommunicatione minore.

CAP. I.

Maiorem excommunicationem priuare paſſiua Sacramentorum participatione.

SVMMARIVM.

1. Maiore excommunicatione innotatus ſuſcipiendo aliquod Sacramentum, peccat mortaliter: quantumuis ſit occultus, aut penitens.
2. Quatenus ignorantia in eo excuſet.
3. Peccatum miniſtrantis excommunicato Sacramentum.

4. Collatio Sacramenti excommunicato facta etiam ſcienter eſt valida, excepta collatione Sacramenti penitentia.

Excommunicationem maiorem priuare Sacramentorum participatione paſſiua, manifeſtũ eſt ex cap. Si celebrat De Clerico excomm. & ex cap. Cum illoru De ſenten. excomm. & ex cap. Engeltrudã 3. qu. 4. Idque Doctõres quorũ plures cõmmerat *Vgolinus tabula 2. De cenſuris cap. 7. initio*, cõmuni conſenſu admittunt; ita vt excommunicatus percipiendo Sacramenta (addit alijs citatis idem *Vgolinus* in eod. 7. §. 3. num. 2.) ſacrilegium committat, & peccet mortaliter. Intellige autem quantumuis ſit occultus: iuxta illud quod traditur in ſequenti capit. vltimo ſectiõne 2. De priuilegio Concilij Conſtantiẽſis, quod nullo modo ſit datum in fauorem excommunicatorum: ſed cæterorum tantum fidelium. Intellige etiam quantumuis non ſit per excommunicatum quominus abſoluatur iuxta *Adrianum* in 4. De conſeſſ. queſt. 4. §. Si petas: & *Sylueſt. Excommunicatio 3. nu. 12.* Sicut enim homicida quantumcunq; contritus de peccato manet obnoxius pœnæ iuris, donec à Principe ea ſit remiſſa, ita excommunicatus obnoxius eſt incommodis cenſuræ, donec abſolutus ſit. Intellige adhuc, quantumuis excommunicatio ſit iniuſta, dummodo ſit valida, iuxta eundem *Sylueſt. ibid.* Et ratio eſt, que præcedentia quoq; confirmat, quod de natura excommunicationis ſit, priuare paſſiua participatione Sacramentorum: adeo vt nulla excommunicatio detur quin priuet tali participatione.

Quamquam tamen, vt poſt *Palud. Adrianum & Caiet. docet Sotus* in 4. diſt. 22. qu. 1. art. 1. dubio vlt. & poſt *Nav. atq; alios, Vgol. De cenſuris Tabu. 2. cap. 7. §. 2. n. 6.* ſi quis inuincibiliter ignoret vel factũ, hoc eſt, ſe eſſe excommunicatum: vel ius, hoc eſt, nõ licere excommunicato accedere ad Sacramentum, non modo non peccabit paſſiua participatione Sacramentorum; ſed etiã fructum gratiæ diuinæ recipiet. Nam nõ ponet obicem per peccatum: ſufficienter, vt ſupponimus, dolens de eo: excommunica-

thunicatione q; non obstante, retinebit habitate suscipiendi sacramenta, quam baptismalis character indelebilis illi tribuit. Attamen executionem ordinis ignoranter suscepti in excommunicatione, non habet ordinatus: sed statim ac noverit excommunicationem tenetur ab eiusdem ordinis usu abstinere vt per cap. Illorum. De sentent. excommunicationis notat Vgolin. *sub finem sequentis* §. 3. citans alios.

ADVERTE vero iuxta Navar. in Enchir. cap. 27. nu. 239. excusari posse eum, qui (re existente occultissima) ad vitandam gravem infamiam aut mortis periculum, post debitam contritionem, qua probabiliter credat se restitutum diuinæ gratiæ, celebraret aut communicaret. Nam nulla alia ratione valenti eiusmodi periculo obviare, subuenit lex naturalis de fama & vita seruanda. Qua tamen in re valde circumspicendum esse oportet: nec in re tanti momenti sibi blandiri; cum non sit dandum sanctum canibus Matth. 7. ille qui habendi sint, tanquam Ethnici & Publicani ex seq. cap. 18.

3. Aduerte præterea, quod vt non est licitum excommunicato sacramenta percipere: ita nec licitum esse illa ei ministrare: vt pluribus aliis citatis docet Vgolinus in eodem cap. 7. §. 1. Patetque ex cap. Excommunicatus, 1. §. Credentes, versus Sane Clerici, De hereticis, & ex cap. Episcoporum, De priuileg. in 6. Excipitur tamen casus, in quo ministrans sacramentum ignorat eum cui administrat esse excommunicatum: aut scit quidem excommunicatum esse, sed is est occultus, & publice petit ministrari sibi aliquod Sacramentum, vt Eucharistiam. Nam ne diffametur, ministrandum est ei: pro quo facit quod Dominus Eucharistiam ministraverit Iudæ proditori, quem cognoscebat fumere indigne.

4. Quærenti autem: An si defuerit ignoratio excusans, excommunicato reddat sacramenta que excommunicatus recipit, inualida nullaq; ita vt debeant iterari. Respondendum est de ceteris quidem Sacramentis certum esse qd excommunicatio non reddat ea inualida (qua de re videri possunt Sot. in 4. dist. 22. q. 1. ar. 1. Navar. in Enchir. c. 27. n. 36. Couar. ad cap. Alma mater 1. par. §. 6. n. 5. & 6. & Vgolin. in prius cit. §. 2.) ita vt iteranda non sint si nullus alius obex positus sit in illorum susceptione. De penitentia tamen Sacramento, seu de absolutione Sacramentali aliq; dubitationem esse: de qua quid tenendum sit exposuimus in fine præced. lib. 6. Cui quidem expositioni congruenter, atq; adeo regulæ iuris receptissimæ. Quod pœnæ & odia restringi debeant: tenendum est, eo quod hic dicitur excommunicatum passiuam sacramentorum participationem priuari; indicari non quidem, qd sacramenta que excommunicatus receperit sint nulla, sed tantum quod si sub mortali prohibitus sit illa recipere: adeo vt mortaliter peccet illa recipiendo, neq; consequatur diuinam gratiam: que est effectus fructusq; potissimus eiusmodi participationis. De qua re Vgolin. in cod. c. 7. §. 3. Vt autem sacramentorum, sic & sacramentalium participatione fructuosa priuatur excommunicatus: quia talis spiritualis fructus pendet ex merito & applicatione Ecclesiæ, quæ non intendit, communibus suis suffragiis ipsum iuuare, prout idem author plenius declarat.

Quod tamen est cum aliqua moderatione intelligendum. Si enim excommunicatus talis sit, quem ex priuilegio Concilij Constant. ceteri non tenentur vitare, & aliquis ab ipso tanquam pastore suo debite postulet sacramentum aliquod sibi conferri, potest conferre absque peccato, & irregularitate, vt docet Sotus in 4. dist. 1. quest. 5. art. 6. propos. 6. & dist. 22. quest. 1. art. 4. col. 2. Navar. in Miscell. 47. De oratione, n. 3. & alij quorum meminit Henriquez in 1. par. suæ summæ lib. 13. cap. 6. l. v. in margine. Rationes ipsorum sunt: tum quod creditor possit ab excommunicato suum debitum petere, hicque petenti possit solvere sine peccato: tum quod si Parochus Parochiano petenti sacramenta non possit ea conferre absq; peccato, merito ipse à collatione se subtraheret; & ad conferendum, cum scrupulo sollicitaretur ab aliis: quod vtrumque alienum est ab Ecclesiæ mente consulendi timoratis conscientis per ante memoratum priuilegium Concilij Constantiensis. Nec obstat excommunicatum in nullo relaxari per tale priuilegium, vt in eodem exprimitur: quoniam illi in hac re non fauetur in relaxationem, sed in restrictionem: vt cogatur sustinere onus à quo, prætextu excommunicationis poterat se excusare. Aduerte vero talem excusationem à peccato intelligendam esse, de excommunicato per memoratum priuilegium tolerato, quem peccati propter quod excommunicatus est, aliorumque omnium suorum mortalium pœnitet: adeo vt nihil aliud obstat ei quam excommunicatio.

6. PORRO quantumcumque Sacerdos sit excommunicatus de numero vitandorum, hoc est, vel sit nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor, potest, etiam non Parochus, in extrema necessitate, mortis articulo, cum non est alius minister, sacramentum baptismi conferre absq; peccato, ex D. Thoma 3. part. quest. 82. art. 2. et si id non possit (iuxta Syluestrum verbo Excommunicatio tertio in effectu 22.) nisi vt laicus, hoc est, sine solemnitate; cum id sufficiat ad satisfaciendum necessitati. Potest etiam pari ratione, dare absolutionem sacramentalem, prout exposuimus in lib. 1. cap. 7. sub initium.

7. Si quis quærat, an excommunicatio maior non tantum faciat vt mortaliter peccet excommunicatus Sacramenta conferendo: sed etiam vt collata sint inualida. Respondetur cum Couarruua in citato num. 5. & sequentibus, atque ex aliis quorum meminit Vgolinus *tabula prima cap. 13. num. 16.* si non sit aliunde impedimentum, Sacramenta collata ab excommunicato, esse valida. Pœna enim Ecclesiastica non est, vt Sacramenta ab excommunicato vel suscepta, vel collata irrita sint; sed vt licite & absque peccato suscipi aut conferri non possint; excepto tamen penitentia Sacramento, quod in conferente requirit iurisdictionem, iuxta illud Concilij Tridentini, sess. 14. cap. 7. Verissimum esse synodus hæc confirmat: nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Iam excommunicatus, qui est de numero vitandorum, caret omnino, si non iurisdictione, saltem vsu iurisdictionis, iuxta cap. Ad probandum, De sententia & re iudic. Et ratio est ex Diuo Thoma in 4. distinct. 18. quest. 2. artic. 2. *quest. innc.* quia non potest iurisdictione vt nisi communicando eum iis, quos vitare aut à quibus vitari debet ex præcepto Ecclesiæ. Proindeque impensa ab ipso absolutio nulla est: quod expresse tenent Navar. in Enchir. cap. 9. num. 6. Med. in Cod. De Confess. quest. 22. Couar. in citato §. 6. num. 7. *conclus. 6.* Vbi eam esse sententiam omnium annotat. Addens in sequenti conclus. septima id procedere etiam si Pœnitens ignoret se taliter excommunicato confiteri; adeo vt postquam habuerit eius rei notitiam teneatur iterare confessionem. Pro cuius limitatione vide dicta in libro primo cap. 10. num. 116. & 117. ac excipe articulum mortis: in quo impensa absolutio etiam ab excommunicato vitando, valida est, prout Navar. in Enchir. cap. 27. num. 271. vers. 7. bene deducit ex eo quod in Concilio Trident. loco citato generaliter & absque exceptione dicatur in Ecclesia Dei semper custoditum fuisse vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, ideoque omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolueret posse. Inde enim patet vt præceptum de non furando, sic præceptum de non vitando iurisdictione,

CAPVT II

Maiorem excommunicationem priuare etiam actiua participatione Sacramentorum.

SVMMARIVM.

- 5 Non esse licitum excommunicato administrare sacramenta; cum qua moderatione sit accipiendum.
- 6 Quatenus possit excommunicatus etiam non toleratus, sacramenta conferre.
- 7 Collata ab eodem sunt valida, excepto penitentia sacramento, extra mortis articulum collato.
- 8 Obseruandum de sacramento Ordinis collato ab excommunicato.

5. DE hac priuatione constat ex cap. Illud, §. Licet, De Clerico excommun. ministr. & ex cap. Engeltrudam; q. 4. & per rationes quas habet Vgol. De censuris *tab. 2. cap. 7. §. 4.* Quo fit vt excommunicatus peccet mortaliter administrando sacramenta, prout expresse Couar. ad cap. Alma mater 1. par. §. 6. num. 5. & post ipsum atque alios Vgol. in cit. §. 4. nu. 4.